


Maa . 1.



1. 11. 11.





In hoc volumine continetur.

1. S. Ignatii Martyris Epistolae genuinae ex Biblioth. Florentina, itemq. suppositivae, ad haec S. Barnabae Epistola.
2. Schediasma Historic. de Apophthegmate S. Ignatii. Amor meus crucifixus est. W. E. Tenfelde.
3. Eiusd. Tenfelii Epistola grat. ad Pan. in qua vindicatur Apophthegm.
4. Basilii M. Oratio de Jejunio, et Homilia contra ebrios.
5. Lechenbergii Diss. de veterum Christianorum Doctrina.
6. Tenfelii de Hymno: Te Deum laudamus.
7. Antonii de N. T. Philosophia.
8. Lechenberg de τὰ πρὸς τοὺς κακοῦς ἀγγέλους.
9. Wedelii de Unguento Nardino.
10. Lechenbergii de Iliade Homeri.

✓

57

L. D. B. V.

OBSERVATIONES GRAMMATICAS

De quibusdam

NOVI TESTAMENTI
PHILOSOPHISMIS

Seu

DICTIONIBUS PHILOSOPHICIS,

*Amplissimi Senatus Philosophici
indultu,*

PRÆSIDE

M. PAULO ANTONIO, Z.L.

Maj. PP. Collegii Collegiatio,

Suo hætenus Præceptore,

publice tuebitur

A. R.

CHRISTOPHORUS STRALIUS,
Brandeburgensis.

Ad diem XXI. Augusti A. Mc lxx LXXXVI.

H. L. Q. C.

LIPSIAE,

LITERIS CHRISTOPHORI FLEISCHERI.



Inclutæ
Rei publicæ

BRANDEBURGENSIS
PATRIBUS CONSCRIPTIS
CONSULIBUS,
SYNDICO,
PRÆTORI,

Reliquisque ORDINIS SENATORII

membris,

VIRIS

*Nobilissimis, Consultissimis, Amplissimis,
Doctissimisque*

Dominis, Patronis ac Evergetis, omni
obſervantiæ cultu ætatem ſuſpiciendis,

primitias hæc Academicas

Qualecunque gratæ mentis ſpecimen editurus

D. D. D.

CHR. STRALIUS, A. R.



L. B.



Ula semper doctoribus Philosophis singularum artium fuisse vocabula, quae & quasi privata appellabantur veteres, ad nostra usque tempora, quadam velut traditione magnam partem haud male propagata, quaeq; à publicis, hoc est, vulgo aequae fere notis dictionibus distinguebant: neminem credimus ignorare, cui Scholarum unquam & Academiarum salutare vestibula collibuit. Qua in re, tradendis melius literis inventa, Graecis prima, quantum ex hodiernum superantibus scriptis judicare licet, sine dubio debetur gloria, quam secuto tempore latinorum antiquiorum pariter ac recentiorum Scholae, (an bene maleve, jam tacebimus) emulatae sunt. Ut vero ab ipsis ferme philosophiae saltem theoreticae incunabulis, quadam disciplinis omnibus communia vocabula fingeantur, in dialecticis & metaphysicis lectionibus nunc frequentata, quorum sensus idem per tot disputantium sectas utcunque olim servatus est: sic nonnulla usu quasi publica facta in vulgi etiam notitiam alicubi venire, sive quod essent captu facilia & nimis generalia, sive etiam quod a docentibus e communi consuetudine ad explicanda sua noëmata translata, plerosque ad intelligendam novam accommodationem invitarent. Quid mirum ergo est, si praeter philosophos, scriptores quoque alii, oratores, poetae, historici, non modo cum altercarentur aut luderent, sed & cum in oratione perpetua versarentur serio, locuti sunt ita, ut à philosophis mutuo quid acceperint, ex solis iis declarari so-

lidae a literatis debeant? Rhetoras veterum, ne dicatur de gram-
maticis, ideo accensere illis scriptoribus hic abstinemus, non mo-
do quod quibusdam dubium est, utrum hi illis, an illi his magis
debeant in horosophia negotio, sed & quod hos ipsos in suo ge-
neri philosophantes agnoscere merito possumus; quippe qui
Philosophismorum titulo voces primas in œconomia didactica
necessarias hic complectimur. Cum itaque ejusmodi locutio-
nes organica, ceu flores quidam, late adeo dispergantur, ex ipso
novo testamento manibus grammaticis cursim tractato, exem-
pla nonnulla sine ulla aliena messis invasione collecta, & aliqui-
bus observationibus excursibusq; varie ac sobrie illustrata, Phi-
losophorum Christianorum examini humiliter, quod Deus bene
vertat, summittimus.

§. I.

Cum Novi Testamenti *Philosophismos* nove, quantum
 constat, dicimus, incertum an veniam inscriptionis
 hic petere vel exponendo sensui vacare, viamq; ad
 eo hæsitaturis præstruere oporteat; cum ut Hebraismos alii,
 Chaldaismos, Persismos, Latinismos, Rabbinismos, eas lo-
 quendi rationes vocant, quæ ab Hebræis, Chaldæis, Persis,
 Latinis, Rabbinisve acceptæ sunt: sic nostro nos titulo dictio-
 nes natura & genere philosophicas, frequentius saltem pres-
 siusve adhibitas à philosophis, easq; generales intelligimus.

II. Nulli ergo nobis nunc curæ sunt philosophicæ ar-
 gumentandi rationes, quarum quædam vestigia in eo ipso
 sunt volumine, aut quarumcunque utriusque Philosophiæ
 disciplinarum termini; nec etiam loci illi biblici, quorum
 occasione scholastici magistri vocibus quibusdam inflexio-
 nem vel formam philosophicam seu bene seu absone dede-
 runt. Probabile enim fit, denominationem *potentia obe-*
dientialis ex Matth. IIX, 27. & τῶ ubi repletivi ex Ephes. I, 23.
IV, 10. Jer. XXIII, 24. arcessi debere, ut de Theologia compre-
hensiva

bensiva Phil. III, 12. & de *suitate* taceamus, qua Christus Filius Patris Filius *id. &* est *Rom. II, 32.* ea fere occasione dici solita, qua a suo hærede *suitatem* Ictus quidam effinxit. E ridicularii illius manduci Johannis Caramuelis Episcopi Viglevanensis *nova Metaphysica dialecto*, aliqua libris divinis mire accommodata specimina excerpta sunt in Actis Eruditorum Lipsiensibus A. 1683. p. 533. 534.

III. Neque tandem quicquam nobis rei est cum voculis technicis, quæ præter catholicum usum analyticum, suppleendis textuum sacrorum ellipsis aut emphasibus explicandis sunt sigillatim idoneæ; ut, quod Paulo *χαίρω, ἔχω ὄπι* &c. *2. Cor. VII, 9.* inqviente, *ἀπλῶς* aut *ἀπολελυμένως*, vel *Rom. XI, 6.* τὸ *nihil tertium* subauditur. Nam plurium exemplorum conquisitione propria levavit nos unius versionis Montensis inspectio, quæ locum *1. Theff. V, 9.* ita reddidit gallice, hoc est, in lingua philosophismorum patientissima: *Dieu ne nous a pas choisis pour estre des objets de sa colere*; ipso hæctenus approbante ejus censore, Teliero Jesuita Parisiense *in observ. p. 56.* si nomen hujus verum nuper nobis prodidit Prior Bollevillanus vel rectius famosus Richardus Simon *in responso Hollandis quibusdam opposito. c. 15.* Vide, si placet, in Janseniana illa versione plura hujus notæ *Matth. I, 21. Luc. IV, 23. Rom. III, 27. IX, 9. XIV, 1. Gal. IV, 30. Ebr. II, 11. 14. V, 5. VII, 23. XIII, 21.*

IV. Sed in præsentia earum unice dictionum organicarum sylvulam quandam comparare suscepimus, quæ intra ipsos Novi Testamenti fontes habentur; ita tamen ut Philosophismos eos *in manifestos & occultos* qualitercunq; distribuere, salvo adhuc nostro proposito liceat. Nam & qui latent, iis in sedibus, quibus latent, revera sunt. Quid per manifestos intelligamus, explicatu haud opus est: occultos autem hic nominamus illos, qui in derivato quodam

dam nomine vel verbo composito delitescentes, sollicitius excutiendi sunt, ut videre infra §. VIII. X. XX. licebit. Illis primum primariumque locum tribuere lex jubet naturæ: hos illorum interferere catalogo, cum facto justo indicio confusionis metum injicere queant nullum, sintque paucissimi, quid vetat? Utrisque vero philosophismis permiste recensendis, grammatica potius, quam alphabetum vel recepta librorum sacrorum series ordinem datura quomodo-cunque est, nisi quod interdum unius notionis occasione, vicinam quandam aliam commodæ brevitatis causa complectemur.

V. Ut itaque à neutro genere ordiamur articuli pro-
 tactici το hunc è docentibus Philosophi sæpissime mate-
 rialiter, ut loquuntur grammatici, seu ὀρικῶς per casus o-
 mnes usurpant, ut nemo non novit, qui vel Porphyrii isa-
 gogen organumque Aristotelicum inspexerit. Quin & in
 morali materia Hierocles, Philosophi cognomen in ipsa
 prætura Alexandrina adeptus, cum explicare vellet moni-
 tum Pythagoræ σέβει ὄρκον, incipit το δὴ σέβει ὄρκον: nec non
 Epictetus c. 5. *Enchiridii*, πρὸ χειρὸν ἔσω τοῦ διότι ἔδεν πρὸς σε
 c. 31. τί λέγεις το ἀβόητοι; His contendimus inductionem
 Pauli longe nobilissimam *Rom. XIII, 9.* το ἔμοιχεύσεις, ἔ-
 φονεύσεις, ἔκλέψεις, ἔψευδομαρτυρήσεις, ὅσα ἑπιθυμήσεις, καὶ
 εἴ τις ἑτέρα ἐντολή, ἐν τῷ τῷ λόγῳ ἀνακεφαλαιῆται, ἐν τῷ
 ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου. Simile ratione τὸ σήμερον *Ebr. III,*
13. accipitur: quippe quod Apostolus præposito signo dida-
 ctico lectorem ad illud ipsum σήμερον v. 7. ex veteri testa-
 mento allatum revocat. E magno doctiorum Patrum nu-
 mero unius Chrysostomi loca quædam exegetica allegabi-
 mus: το ἐν χειρὶ Ἰησοῦ τῷ τῷ ἰσὶν. ὄρα, πῶς πολλαχῶς το ἐν
 ἀντί τοῦ δι' ἑστί. ὅσα ἄρα ἔλαττον τῷ τῷ Δε. *homil. 2. in 1. Cor.*
 το Δε τῷ τῷ μὴ νομίσεις ἔλαττώσεως εἶναι. το γδ, ὅσα φέλλει, πνεῖ,
 τῷ τῷ κατασκευαστικόν. *homil. 29.* το ἐφ' ἑξέρμεθα *ad Gal. III, 23.*
 Et si

Etsi vero vim hujus articuli pronomibus bene exprimere latini solent; quo hæc spectant Tulliana: *ubi est illud semel? ipsum illud peccare, quoquo te verteris, unum est. quod est isthuc vestrum probabile?* nam & Hesychius το ἀντὶ τοῦ τῆς το poni affirmat, ipsiusque Pauli pleonasmus *Rom. XIII, 9. ἐν τῷ τῷ λόγῳ, ἐν τῷ ἀγαπήσεις* confirmare istam observationem videtur: Linacer tamen Donati notam super illud Terentii *egone dicam?* affert ita commentantis, *το ego emphasin habet.* *Quæ ratio, pergit Linacer characteris Aristotelici in docendo æmulus, si in multis servaretur, non parum claritati conferret. l. 6. de emend. p. 474.* Enimvero sæpe Philosophi ipsi isthuc suum το omittunt, ut cum quid prædicari dicunt *in quid vel quale*, hoc est, in τὸ ἐρώτημα *quid vel quale est?* vel Porphyriana potius constructione, ἐν τῷ τί ἢ ποῖον ἔστι, quam Damascenus *c. 5. 9. 17. 18. 19. 20. 22. 23. 25. 27.* sequitur.

VI. Hunc in censum an referri quoque possit locus *Ebr. II, 8. ἐν τῷ ὑποτάξαι αὐτῷ τὰ πάντα, εἰδὲν ἀφῆκεν αὐτῷ ἀνυπότακτον*, haud equidem in magno ponamus discrimine. Quia enim ex universali propositione affirmante *v. 6. 7. e Pf. IIX, 7.* allata, Paulus quasi negantem *ισοδυναμίας* beneficio deducere aggreditur, sensus alius non est, quam iste: ἐν τῷ λέγειν, ἢ λέγουσθ (nam sic & *Ebr. III, 15. IIX, 13.* plene legitur) ἢ λέξαι, πάντα ὑπέταξας. Qualem fere textum & *Rom. XIII, 9.* qui ter repeti meretur, & in jambis Euripidis, Æschylum ceu tautologum insectantis, apud Gellium *N. A. XIII, 13.* observavimus:

Δὶς ταυτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς αἰχυλῶν,
 Ηκὼ γὰρ εἰς γῆν Φησὶ, καὶ κατέρχομαι.
 Ηκὼ δὲ ταυτὸν εἶσι τῷ κατέρχομαι.

Tantum vero abest, ut trahere huc audeamus locum *Phil. II, 6.* nisi quis Paulum isthoc suo το εἶναί τινι θεῷ ad aliud Scri-

Scripturæ dictum respicere probaverit, ut potius vulgarem hic agnoscamus græcismum, quo, verbi causa, τὸ ἀνθρώπων ἄρχειν, & ἀνθρώπων ἄρχειν apud Xenophontem *Cyropædia* initio unum idemque sunt. Si quæ tamen exempla certiora præterea desiderentur, maluerimus τὸ ἐκ μέγας ex 1. Cor. XIII, 10. quatenus refertur ad v. 9. & τὸ ἀνέβη ex *Ephes. IV, 8.* sistere.

VII. Nondum omnia de binis hisce literulis diximus, utpote quæ in illo Pauli pronunciatō: Christus est e patribus, τὸ κτὶ οὐρα *Rom. IX, 5.* ejusmodi serviunt restrictioni, quam alibi in sacris præter *Rom. I, 15.* facile non reperias. In Petrina equidem homilia *Act. II, 30.* ipsa hæc formula pariter legitur, nec incongrue Paulinæ dialecto comparabitur; quod & à viris doctissimis dudum factum est; hoc modo interest, quod confutari ad oculum rigidissimus disputator non possit, qui τὸ ad ἀνασίσειν, regente verbo ὁμνύειν retulerit. Passorem *Rom. I, 3.* quoque τὸ κτὶ οὐρα in apographo quodam legisse oportet, ut liquet inspecto ejus lexico: quod unum sequi si tutum foret, exemplum profecto accederet omni exceptione superius. Præter hunc enim alios ita legere, nobis non constat. In primo equidem loco *Rom. IX, 5.* vim syncategorematis exprimere conatus est Arias Montanus supersticiosus in multis metaphrastes, quod *secundum carnem*, id est, quantum ad carnem, quod ad carnem attinet: Gisbertus Voëtius vero, qui *de explicatione & prædicatione formularum restrictivarum in Theologia* dissertationes conscripsit duas, secundæ *selectarum disputationum* parti a p. 362. usque ad p. 402. insertas, ut congestis tot triticis scholasticis vix aliquot Scripturæ phrasium *ωροδιοεπιστηκῶν* meminit, sic de nostro loco tam insigni plane conticere sustinuit. Neque nos, quod fatemur ingenue, a tantis hic instructi sumus opibus, quantas harum rerum cupidus

dus exposceret, haudquaquam tamen dubitantes, quin aliis
 multæ lectionis viris eæ suppetant, quando quidem hic arti-
 culi usus, græci idiomatis naturæ in aliis exemplis τὸ κατ'
 ἐμὲ, τὸ ὅσον ἐπ' ἐμοὶ, τὸ κατ' δύναντι τὴν ἐμὴν, non repugnat,
 & per τὸδε vel τῆτο, aut surrogato articulo hypotactico, ὅ, ὅτι
 commode explicari potest. *Quod in me fuerit*, dicere ipsi
 latini non abhorrent, quorum quidem auctoritatem spectas-
 se Ariam Montanum, vel pro eo prætendi posse dubitamus.
 Hoc autem dum censemus, nondum Hortensii, qui Augu-
 stini vixit tempore, Petri Bembi, Nosoponi personati, Jo-
 hannis Petri Maffeji, Sebastiani Castalionis aliorumque ejus
 generis aristarchorum similes haberi volumus, qui partim
 divina Ciceroniane scribi expetierunt, partim quod ea Ci-
 ceroniane versa non essent, habuerunt despicatui.

VIII. In nominibus deinde enarrandis auspicabimur
 ab αἴτιᾳ ex Ebr. V, 9. ubi Christus Jesus legitur esse αἴτιος
 σωτηρίας αἰώνιας, *caussa æternæ salutis*, seu, ut philosophis-
 mis alio typorum genere distinctis vertit in N. T. Erasmus
 Schmidius, *caussa efficiens & exhibens*; cui Carolus Rapinus
 gallus in epistola hujus paraphrasi, *exemplarem, finalem &*
materialem sive objectivam causam (utrum commode an-
 minus, nostra non magni refert) addidit. *Causam effi-*
cientem, græcis τὸ ποιεῖν ἢ τὸ ποιητικὸν ἢ τὸ δραστηρίον αἴτιον vel
 sine adjunctione τὸ αἴτιον appellatam, dicere, quam non re-
 nuant latini, supersedemus probare; ut potius doctissimum
 virum Oxoniensem episcopum Johannem Fell nuperrime
 fato functum, in interpretanda Athenagoræ apologia, αἴτιον
 ποιητικὸν καὶ δραστηρίον *caussa efficientis*, quam *principii activi*
 notione cum Suffrido Petri efferre merito maluisse pute-
 mus. Cæterum quatenus ἡ αἴτια firmam statuendi aut con-
 cludendi rationem significat, non occulte modo & involu-
 te nomen id habetur in verbo δραστηρίον Rom. III, 9. quod

B

vul-



vulgatus interpretis *caussati* vel *præcaussati* sumus (longe purius Erasmus Roterodamus, Osiander, Gerhardus, *ante caussis redditis ostendimus*) reddidisse advertitur, sed manifeste etiam & evolute *Ebr. II, 11.*

IX. *Αναλογία* Rom. XII, 6. quam in genere Cicero primus *proportionem* reddidit, & Quintilianus *id, quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non quaeritur, referre*, in rem præsentem commode definit, *ut incerta certis probet l. 1. Instit. c. 9.* philosophiæ subsidio non minus ac τὸ ἀναλογίαις *Hebr. XII, 3.* explicari omnino debere, quicquid sit de variis exegetarum sententiis, nequaquam ibi inficias, qui vel unius Danhaueri *hermeneuticam sacram a p. 366. usque ad p. 380.* perlegerit. Neque quisquam mirabitur, vocem hanc ex mathesi in organon cum tempore fuisse transumptam, cui *terminorum, medii, extremorum, componendi, dividendi, colligendi, circuli apodictici, figurarum, numero differentium, adequati, directi &c.* vera denominatio unquam innotuit. At ut infra §. XVII. redibit nonnihil de nostri exempli ἀναλογία cognatis dictionibus denuo commentandi occasio, ita vel solam commendatam a Paulo *κατάληψιν τῆς πλάτης καὶ μήκους καὶ βάθους καὶ ὕψους Ephes. III, 18.* claro esse indicio, quam tum frequens, vel in populo docendo, stylus mathematicus fuerit, commonuisse semel sufficiat.

X. *ΑΝΤΙΘΕΣΕΙΣ τῆ ψευδωνύμου γνώσεως*, *oppositiones falsi nominis scientiæ* *1. Tim. VI, 20.* occurrentes quod attinet, illi magis interpretes novum nobis philosophismum suppeditant, qui aut scepticas contradicentium objectiones, *πρὸς αὐτὸν εἰδὲ ἀποκρίνεσθαι καὶ* cum Theophylacto, aut ipsorum hæreticorum Cadmeas inter se pugnas cum Grotio intelligunt, quam qui vel gnosticorum duo adversa sibi numina, vel Simonianam veteris & novi testamenti antithesin notari tradunt. Quod si cui e prioribus sententiis alterutra

tra

tra videtur probabilior, (directa enim hujus ipsius veritatis cura aliam cathedram desiderat) non manifestius modo exemplum ipsum, sed & *thesin* simul seu *positionem* in antithesi comprehendi sensu dialectico, promptius confessurus est; quo & in ipsis D. Lutheri germanicis bibliis clare legitur, sie verstehen nicht was sie sagen/ oder was sie setzen/ 1. Tim. I, 7. Neque multum falleremur, si & e C. Nepotis, Hellenis- mis plenissimi historici, præfatione, omissis jam aliis testi- moniis, illud: *apud nos humilia ponuntur*, huc advocarimus. Subnectere autem aliquid de ἀντέπω, ἀντιλέγω, ἀντίκειμαι, ἀναντήρηται, ἀπολογία, aliisque vocabulis thesi vel antithesi sensu respondentibus, nihil nunc necesse est.

XI. Hinc provehimur ad locos *Ephes. I, 19. III, 7.* qui- bus δύναμιν & ἐνέργειαν invicem sic differre B. Johannes Mu- sæus arbitratur, ut illa notio actum quendam primum, effe- ctricem nempe potentiam, hæc actum secundum, hoc est, stylo vulgari, efficaciam denotet. *in Introd. p. 559.* Nihil vero nobis cum Hieronymo Zanchio est, quem ut repre- hendere nolumus, quod ἰσχὺν κράτῳ καὶ ἐνέργειαν *Ephes. I, 19.* ad analogiam distinctionis philosophicæ inter δύναμιν φυσικὴν, ἔξιν & ἐνέργειαν explicare conatus est, sic ab affecta- tæ subtilitatis crimine, quod nonnulli objiciunt, liberan- dum aliis relinquimus. Etsi quoque sunt interpretes, qui *Ephes. IV, 16.* ἐνέργειαν per vim intus agentem seu δύναμιν ἐνεργησιμὴν, eodem permanente dicti ipsius usu, explicant; quemadmodum complures Theologi in articulo de maje- state humanæ Christi naturæ in operibus divinis, ἐνέργειαν operandi facultatem faciunt: vir tamen ille laudatissimus Musæus, nisi plane fallimur, ad tenendam hic significatio- nem superiorem eamque tritiorum proclivior videri vo- luit. *part. 1. Tr. de ecclesia p. 78. 107.* Galeno sane auctore *l. 2. de crasibus c. 5.* ἔτερον μὲν εἶναι τὸ κατ' ἐνέργειαν, ἔτερον δὲ τὸ κατ'

δυναμιν, & Suidæ ἡ ἐνεργεία definitur ἡ τελειότης τῆς δυναμίδος. Huc accedit Chrysoſtomus *ad 1. Cor. XV, 26.* scite pronuncians, mortem nunc quidem τῆς δυναμίδος, τῆς ἐνεργείας autem illa demum vita ineunte iri abolitum: ac poterat eandem distinguendi rationem celeberrimus hic exegeta adhibere *ad Gal. IV, 1.* cuius sensus subauditur istis scholæ latinæ nominibus absoluitur, *quamdiu heres est parvulus, nihil actu secundo differt a seruo, etsi est actu primo dominus.* E. Christianis, qui Damasceno *l. 2. O. F. c. 23. & l. 3. c. 15. Isag. c. 8. l. de forma hominis ad imaginem Dei facta p. 491. 490. dial. de Manichæorum heresi p. 535.* plus hic & plenius prodesse queat, nos quidem novimus neminem. Illud Athenagoræ philosophi Atheniensis *in apologia*, ἔστιν ὁ ὕψος τῆς θεῆς λόγου & τῆς πατρὸς EN IDEIA KAI ENERGEIA, Suffridus Petri reddidit *in forma & actu*, Oxoniensis *in idea & efficacia*: quam in rem jungi merentur spectabilis hodie Decani L. A. Rechenbergi nostri notæ exquisitissimæ *p. 80.*

XII. Sed quoniam *δυναμικῶς* vox ab oratoribus etiam recepta, facultates omnes ambitu suo complectitur, merito commemoramus loci *1. Cor. XIV, 11.* εἰ μὴ εἰδῶ τὴν δυναμιν τῆς φωνῆς, ἔσομαι τῷ λαλῶντι βάρβαρος. *si nesciero vim vocis, ero ei, qui loquitur, barbarus.* Græco convenientius, nec minus probato vocabulo vim *potestatem* dixeris, καὶ συνθήκην ex instituto ac impositione significantem. Quæ cum scitur a docentibus servaturque, λόγον constituit ἔυσημον *v. g.* sermonem *significantem* (nam signa rerum voces sunt, ante quas rerum species in mente existere oportuit,) cui φωνὴν ἄσημον καὶ συνεχυμένην præter Damascenum *c. 5. dialect.* opponit Diodorus Siculus *l. 1. Biblioth. f. 8. edit. Rhodom.* qui & *sequente libro f. 139.* utramque notionem pariter conjungit: *ῥάμμασι ῥεῶνται* insularii Taprobanenses καὶ μὲν τὴν δυναμιν τῶν σημαινόντων. Hinc Plato *diale-*

dialectum universim definisse nonnullis creditur σημείον ἢ
 κοινὸν ἑρμηνεύτικόν, & Aristotelis liber περὶ ἑρμηνείας, gram-
 maticæ philosophicæ titulum dudum consecutus, doctrina
 ejusmodi signorum nititur; ut adeo neminem facile exem-
 pla desideraturum credamus. Audiamus tamen philoso-
 phari Chrysostomum *super v. 9.* ἔτε τέχνη φανεῖται, μὴ ὑπο-
 κειμένης ὕλης, ἔτε ὕλη μορφῶται, μὴ ὄπτεθειμένῃ τῷ εἶδός. τίθῃ
 τοίνυν τὴν μὲν φωνὴν ὡς ὑποκείμενον, τὴν δὲ σαφήνειαν ὡς εἶδος,
 ἔ μὴ παρόντῃ ἔδὲν ὄφελῃ τῷ ὑποκειμένῃ. quod ita vertit Gen-
 tianus Hervetus: *neque ars apparebit, nisi sit subjecta mate-
 ria: neque informatur materia, nisi imposita sit forma. Pone
 ergo formam quidem (vocem legendum est) tanquam subje-
 ctum, claritatem autem tanquam formam, quæ si non adsit, sub-
 jecti nullus est usus.*

XIII. Commode nunc sequitur ἕξις *Ebr. V, 14.* id est,
habitus, ut bene reddunt, sua quisque lingua, Arias Monta-
 nus, Erasmus Schmidius, Maresius, Montenses: quando qui-
 dem ut Clemens Alexandrinus τὴν θεοπέπειαν definit ἕξιν τῷ
 πέπειον τῷ θεῷ σώζουσαν l. 7. *Strom.* ita Cicero ipse virtutem a-
 nimæ habitum l. 2. *de invent.* nuncupat, Cicero, inquam, qui
 græcos philosophos ore latino primo loqui decore multorum
 iudicio docuit. Ac ut noologicā in super hanc esse notionem
 demonstramus, Platoni veritas ἕξις est ἐν καταφάσει ἢ ἀπο-
 φάσει, cujus loco Apostolus isthic dicit πρὸς Δαλίμοισιν καλῶ-
 τε καὶ κακῶ: Siracides v. 3. *prologi* habet ἰκανὴν ἕξιν ὑποποιήσα-
 μῃ: & Diodorus Siculus de græcis, μεγάλην ἕξιν εἰς τὴν ἀ-
 ρεολογίαν ὑποποιῆσαι, de Ægyptiis & Æthiopibus, ἐκτικῶς ἕκαστα
 ἀναγνώσασσι, l. 2. § 3. f. 115. § 145. Quin reliqua contex-
 tus sacri *Ebr. V, 14.* verba suaviter τῇ ἕξιν respondent. Nam
 quod τελείων is habitus est, hinc Theophylactus hunc in lo-
 cum describit τὴν τελειότητα καὶ παλιότητα, generatimq; phi-
 losophi habitum a *dispositione*, seu, ut ait Cicero, progres-
 sione distinctum δυσμετακίνητον, δυσμετάβλητον καὶ χρονικῶ-

πρὸν ἢ circumscribunt. Γυμνασιῶν mentio, quæ a Paulo injicitur, eleganter convenit cum illo Aristotelis, Διὰ συνήθειαν ἀπὸ ἕξεως *Rhet. I, 1. 3.* & Andronici Rhodii, ἡ ἐνέργεια τὴν ἐλλείψαν ἐξὶν ἀναπληρῆναι τὴν ἐνεργείας. *paraphr. p. 475.* ἡ ἕξις ἢ τὸ ἀντικείμενον ἀπὸ τῆς διωάμης εἰς τὴν ἐνεργείαν προάγει τὴν ἐνέργειαν *p. 465.* nec alia de causa B. Lutherum credimus, vulgatæ editionis exemplo, habitum interpretatum esse die Gewonheit. Antecedentia textus nostri, quæ de pædia loquuntur seu institutione, & consequentia tandem illustrare egregie potest antecessor ille, qui institutionum juris græcam dedit paraphrasin, Theophilus: *ne teneriores adhuc adolescentium aures per difficiliore has traditiones offendamus in ipsis institutionibus, opera pretium esse duximus, hæc prius tractare separatim, ut subtiliorem postea & exactiorem doctrinam ἐκπαιδῶντες λοιπὸν, καὶ ἐν ἕξιν ἡρόμφοι accipiant l. 2. T. 20. §. 3.* nisi mavis audire nostrum Chrysostomum, qui sequentia notavit *ad Gal. III, 24.* ὅταν ὁ νέος ἐν ἕξιν ἡρόμφοι, ἀφίσταται λοιπὸν ὁ παιδαγωγός *f. 1006.*

XIV. Unum difficultatem quandam habere nonnullis videtur, quod allato ad Ebræos loco perfecti Christiani legantur Διὰ τὴν ἕξιν habere τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα: at nihil obstat, quo minus & τὰ αἰσθητήρια ex noologia, quam vocant aliqui, explicemus analogice de intelligendi & dicendi facultate. Nam præter textus alios *Luc. IX, 45.* & *Phil. I, 9.* in ipsius Platonis, quo alioqui nemo diligentius a νοητοῖς separavit τὰ αἰσθητὰ, definitionibus, αἰσθησις est ψυχῆς Φορὰ, ἢ κίνησις. unde latini etiam *sensus, sensoria, sentire* ad animum, græcorum imitatione, passim referre amant: ut vulgata biblia taceamus, quæ τὸ ἀνόητοι *Gal. III, 1.* vertunt *insensati.*

XV. ἰδέσθαι demum, sive *substantiam* sive *personam* significet, in metaphysica utique, lexico hodie philosophi-

Iosophico, sedem habet, & *Ebr. I, 3.* legitur, adeoque altero isto sensu *ἕως* a nobis etiam pronunciari potest. Nam quem sensum & eum germanum certo credere pia mens debeat, persuadere ex analogia fidei, venerandi Theologorum ordinis est, cui quoque soli castigandum permittimus profanum istum Aristobulum, qui dissertatione quadam *de incertitudine metaphysica*, dialogis familiaribus superiore anno Amstelodami gallice scriptis, pessimo consilio inserta, manifesto offendiculo ipsam simul sententiam Pauli perstringere ausus est. *p. 295. 343. 344.* Iphis enim Socianianis delicatior collocutor iste, quem e Remonstrantium numero Ebrææq; linguæ doctorem esse fama fert, observabitur, Racoviano nempe Novi Testamenti interprete, & Jeremia Felbingero, quibus vocabula *Wesen / Unterstand / Unterständigheit* usurpata ibi sunt absque fastidio. Duo autem ad nostras curas jure pertinere videntur. Unum est, quod si *ὑπόστασις* *Ebr. I, 3.* personam notat a substantia vel essentia distinctam, istud non tam etymi efficaciam tribuendum est, quam usui, & ut Suidas perspicue hactenus loquitur, *τῆ ἐκκλησιαστικῆ καὶ ἀποστολικῆ ᾠδοσφ.* Unde nullum inter *ὑπόστασις* & *ὑπόστασις* discrimen intercedere *καὶ τὴν ἰσορροπίαν σοφίαν*, Theodoretus agnoscit *dialogo 1. adv. hereticos*, qui *ἀτρεπῶς* inscribitur, cui cum fructu Damascenum *c. 29. 30. 39. 42. 43. 44. 45. Dialect.* junxeris. Nec nisi grammaticæ autoritas Augustinum forsan movit, ut *l. 5. c. 8. de trin.* latinam suam phraseologiam græcæ antetulerit. Confer, si lubet, Petavium *T. 2. Dogm. l. 4. c. 9.* & Suicerum *T. 2. thesauri Eccl. f. 1395. sq. 1495. sq.* tametsi Nazianzenus causam in latinæ linguæ *συνότης καὶ ὀνομάτων πένιαν* *orat. 21.* rejiciat. Alterum, quod veluti corollarium quoddam observamus, est: quod non raro falli eos accidat, qui philosophismos scriptorum intellecturi ad solam etymologiam respiciunt; ut jam a Lu-
thero

thero disput. quod in Christo dua natura sint, a. 1543. habita
 §. 17. 18. 19. animadversum, & exemplis non paucis ostendi
 posset. Nisi præterea novum *hypostaseos* significatum, e-
 umque a mathematicis, ut apparet, transfumtum, quo græci
 τοῖς κατ' ἐμφασιν τὰ καθ' ὑπόστασιν, hoc est, vera apparenti-
 bus opponunt, referre licet. Nam sic lucis nonnihil ac-
 cedit, præter 2. Cor. IX, 4. XI, 17. loco Ebr. XI, 1. quod jam in
 lexicis observatum est, cuique textui jam olim scholion
 hoc adjectum reperimus: ἐπειδὴ τὰ ἐν ἐλπίσιν ἀνυπόστατα εἶναι,
 ὡς τῶς μὴ πλεόντα, ἢ πίσις εἶσα τις αὐτῶν, καὶ ὑπόστασις γίνεσθαι.
 Aliter paulo Chrysostomus ad Ebr. III, 14. τί εἶναι, δεχθῆναι τὴν
 ὑπόστασιν; τὴν πίσιν, δι' ἧς ὑπέστημεν καὶ γεγυήμεθα καὶ συνα-
 στώμεθα. An Macarius M. in Petri Possini thesauro ascetico p.
 140. Jesum τὴν ἐνυπόστατον τε καὶ ὄντως ἀλήθειαν superiore
 sensu appellet, inquirant alii: hic temperare nobis ægre pos-
 sumus, quin τὴν ὑπόστασιν καὶ Φῆναι Polybii historici gravissimi
 subjungamus, quod est aliis affirmate, Suidæ ὑπομονητικῶς
 & καρτερικῶς dicere.

XVI. At cum jam a nominibus alio transeundum sit,
 quæri adhuc posset, num in sacris quoque libris *abstracta*
 extent philosophica, vel ad philosophicæ exemplum licen-
 tiæ formata? Suidas sane voce ΠΡΟΣΤΑΣΙΣ nomen θεότης ἢ
 θεϊότης Rom. I, 20. cum ἀγγελιότης seu, ut rectius legitur, ἀγγελότης
 & ἀνθρωπότης, hoc est, interprete Emilio Porto, cum angeli-
 tate & humanitate comparare videtur. quo multum con-
 fert nobis D. Augustinus: divinitatem vel ut sic dixerim,
 deitatem; nam & hoc verbo jam nostros latinos non piget, ut
 e græco expressius transferant id, quod illi θεότητα appellant
 l. 7. C. D. c. 1. nec non Gennadius Scholarius in homologia:
 ἢ ἀνθρωπότης καὶ θεότης. Plutarcho quidem in commenta-
 rii de virtute morali initio χαλεπότης, ἐθλότης, μεγαλό-
 της, καλότης, Chrysippea nempe abstracta, ὡς τὴν χαλεπότητα
 τὸν

τὸν ἐσθλόν, τὴν μέγαν, τὴν καλὴν deducta, styli pœnas dedere; quæ quo forent speciosiores, Guilielmus Xylander a *gratioso* *gratiositatem*, a *bono* *bonitudinem*, a *magno* *magnitatem*, ab *honesto* *honestitudinem* reddidit: sed & a Plutarchi scopo is aberraverit, & nimia scepticorum mollitie laborare, censendus fuerit, qui hinc μεγαλειότητα, vocem in sacris non inusitatam, ceu impuram, despexerit. Neque vel tantillum ideo pudet nos πραότητα, (nam & hanc ibi sæpiuscule legimus) quod Aristoteles isti nomini ex sola analogia dedisse autoritatem videtur, σχεδὸν, inqviens de extremis mansuetudini oppositis, ἀνωμόμων ὄντων ἀνῶν, τὴν μέσον πραῶν λέγοντες, τὴν μεσότητα ΠΡΑΟΤΗΤΑ καλέσομεν l. 2. Nicom. c. 7. conf. l. 4. c. 11. quam in fingendis asciscendisve vocibus modestiam non satis, ut debebat, expressit, quin & plane utrobique prætermisit Andronicus Rhodius in sua paraphrasi. Ea ratione, ut in orbitam redeamus, plura facile hujus notæ vocabula abstracta, e Novo Testamento conquiri possent, præsertim si neutra adjectivorum pro substantivis nominibus positorum connumereres.

XVII. Nos in præsentia ad verba, ferente sic nostro ordine, progredi malumus, in iisq; primum veram emphasin evolvere τὴν λογίζεσθαι, vel revolvere potius. Quis enim philologorum ignorat, verbum hoc Rom. III, 28. Hebr. XI, 29. coll. 2. Cor. X, 5. alibique satis obvium, ex usu arithmetico, quicquid est de ipso etymo, a dialecticis ascitum; quorum fontium indicia non contemnenda in sacris etiam Phil. IV, 8. 15. Luc. XVI, 2. apparent? Idem judicandum de compositis συναλογίζεσθαι, quod verbum latinis dedit suum colligere & διαλογίζεσθαι. Argutari, per nos licet, dicatur Grotio iudice, qui Luc. XX, 5. pharisæos συναλογίζεσθαι πρὸς ἑαυτοὺς legi, non λογίζεσθαι, ideo putaverit, quoniam dilemma ἢ τὸ δισσωῆς λαμβανόμενον φρόνημα in mente hi convolverint;

G

nam

nam & simplex ἐλογίζοντο *Marci XI, 31.* in eadem habetur historia: nobis tamen sollicita originum indagatio vitio hic a nullo æquo lectore verti facile potest. Illa vero concludendi instrumenta διότι, διὰ τῶν, διὸ καὶ, δῆλον ἔστι, δηλονότι, ἐξ ἀνάγκης καὶ, nec non alia vocabula noologica διακρίνειν, συγκρίνειν, διαλέγεσθαι, διανόημα, ἀποδείξαι, συζητεῖν & quæ sunt reliqua, jam in vulgus nota sunt. Sic πῶδραλογίζεσθαι est subdola supputatione maleque subducta ratione fallere (ut ex illo Luciani constat, ἀποπερδάνειν πῶδραλογιστόμῳρον τὰ πορθημῖα) & deinde inani, quo recte sentientes sensurive turbantur, uti ratiocinio; etsi hoc ipsum nomen latini ad numerorum tractationem proprie referunt. Πάθη τῶν ῥητόρων πῶδραλογίσειαν τὴν δικαστῶν γνώμην, Sextus Empiricus inquit *l. 2. adv. Mathem. f. 78.* Et vero Scriptura duabus vicibus in paralogismum invehitur, unum quasi practicum *Jac. I, 22.* alterum quasi theoreticum *Coloss. II, 4. 8.* ad quem quidem locum ultimum Chrysostomus parum habet, quod huc pertineat, in *explicatione tamen epistolæ ad Galatas sub initium* de pseudoapostolis censet: ἡ λέγοντες τὰς αἰτίας παραλογίζοντο τὰς ἀφελεστέρας: contra *homil. 83. in Matth.* verbum institutionis SS. cœnæ ἀπῶδραλόγιστον vocat signantissime, λογισμῶν καὶ ὄψεως κυριώτερον.

XIIX. *Luc. X, 30.* occurrit locutio, quam suspendere hic in trutina ideo operæ pretium est, quod e dialecto dialectica omnium optime illustranda, nec cuilibet forsan lectori obviam est. Qui enim ibi, quæsumus, est ὑπολαβῶν εἶπεν, quam: *assumpsit* Jesus quæstionem legis periti, & *suscipiens vices respondendi* (Lucaë Brugensis & Francisci Vatabli supplementa sunt) dixit parabolam; quo pacto disputans assumit opponentis argumentum vel disceptationem accipit. Respici autem hoc participio ὑπολαβῶν ad docendi genus parabolicum, quod assumptivis, ut scholæ hodiernæ

diernæ vocant, syllogismis affine est, nemo facile consense-
rit. Vulgatus interpres reddidit: *suscipiens dixit*; neque, credi-
mus, incommode. Nam & apud Virgilium poëtam tersissi-
mum Anchises Æneæ F. voto ita fari fingitur VI. *Æneid.* v. 718.

Suscipit Anchises atque ordine singula pandit.

Beza, Piscator, Drusus, *excipiens sermonem ejus* habent, Li-
vianam dictionem. Nam in illo ejusdem vatis, *excipit A-*
scanius, quod non nemo ex *Æneidos IX*, 258. absolutam signi-
ficationem probaturus affert, *excipere* magis est *sermonem*
interrumpere vel interpellare. Erasmo Schmidio alicubi
placuit *subsumens*, græcæ compositionis intuitu: quod vo-
cabulum vulgo frequentatur hodie, cum propositio syllo-
gismi minor recitatur ab argumentantibus, minor, inquam,
quam *προσλαμβανόμενον & πρόσληψιν* veteres sat multi di-
xere, unde oritur illatio seu conclusio. Nam etsi major
propositio *lemma* interdum vel *sumptio* propter excellen-
tiam dicitur: ambas tamen præmissas lemmatum titulo
Aristoteles passim dignatus est. Quid? quod testimonia
reperias, quibus minor sola *assumptionis* aut *assumpti* nomine
a majore dirimitur. Præter Quintiliani locum *l. 5. c. ult.*,
Hieronymus doctissimus ille pater ad *Paulin: Jobus*, in-
quit, *omnes dialecticæ leges propositione (majore), assum-*
ptione (minore), conclusione determinat: & ad Paulum Ur-
banum: *Apostolus sæpe proponit, assumit, confirmat atq; con-*
cludit; quæ propria artis dialecticæ sunt. Sane in syllogis-
mo illo hypothetico, aut, si cum Apulejo platonico verbum
e verbo volumus, substitutivo *Gal. III, 18.* quo remoto con-
sequente, omissa tamen ipsa conclusione, tacite removetur
antecedens, particula *δέ* non secus ac *autem* quandoque
apud Latinos, manifeste servit epanalepsi consequentis, lo-
gica qualitate ea, quam prius habuerat, exuendi. Ut *νῦν*
δέ, νῦν δέ jam vero Joh. XV, 24. Rom. III, 21. I. Cor. XII, 18

20. XV, 20. aliasque simpliciores assumptiones didacticæ, beneficio conjunctionis ἀλλὰ atqui, (quam in syllogistica connexionione prodesse, allato formæ quantumvis Galenicæ ratiocinio Theodorus Gaza probat *in grammat.*) multoties susceptas, nunc prætereamus.

XIX. Verum ut eo, quo dilapsi sumus, revertamur, peropportune incidit non Platonis modo, Xenophontis, Plutarchi, aliorumque profanorum scriptorum hinc inde ita loquentium auctoritas, sed illud etiam sacrosanctum systema disputatorium liber Job, quo LXX. interpretes τῶ ἀντιλαμβανόμενος assumptioni, exceptioni, retorsioni, ἵδ' ὑπολαβῶν λέγει vel vicies, initio plerunque capitum, præfixerunt. Ut autem bona eorum sententia est, qui hoc in usu verbi metaphoram inveniunt: sic hoc ipsum a philosophorum re quasi publica adeo non alienum est, quæ jam aliis affectis tropo vocibus, generi, speciei, materia, formæ, accidenti, influxui, restrictioni, abstractioni, intensiori, conjugatis, in suo genere, & quis numerum inire cogitet? propriam quasi civitatem largita est. Neq; aliud de acceptione verbi nostri noologica, quæ itidem in sacris occurrit, sentire liceat. Si enim κατὰλήψις a rebus, quæ manu prehenderentur, Zenoni dicta est, teste Tullio *l. i. quest. Acad.* cur de ejusdem originis notionibus dubitemus, quæ dici non potest, quam abundant in Stoa maxime, quarum indiculus quidam *ex Idea philosophiæ Epicteticæ* uno abhinc lustro a præside disputationis hujus delineata, contexi posset. Sed ad portum sensim respicere jubet orituri metus tædii.

XX. In particulis itaque, quarum exempla adhuc subnectenda sunt, ἵδ' ὄντως occultum ἵδ' ὄντως entis philosophismum (ut tractatione multa molliamus novum nomen) utcunq; præbeat. Enter scholastici ac glossarii quidam more suo transtulere. Quin & si, quod sensere Gregorius Nyffe-

Nyssenius, Chrysoſtomus, Theophylactus, Damascenus, Suidas, Camerarius, Beza, Caſtalius, H. Hopfnerus, Paſor multique alii, *Ἰησῶς* *Matth. VI, 11.* componitur ab *Ἰησῶς* & *ῥοία*, nomine *ἡ δὲ τὸ εἶναι* dicto, teste Damasceno *c. 39. dialect.* poteramus superioribus paragraphis latentem istam vocem organicam eruere. Etsi vero sententia hæc apertæ insci-
tiæ convicta nondum fuit, ut persuasum aliquibus est: potius tamen faciemus in adverbio affirmandi proposito *ὄντας* periculum. Nempe quoniam vera vel falsa propositio per copulam EST vel NON EST effertur aut efferri apta est, hinc τὸ ὄν καὶ τὸ οὐκ ὄν græcis compluribus, gentilibus & Christianis non *ens* modo fuit hodiernæ considerationis metaphysicæ, sed, quod vel lexicographi dudum advertent, logicæ, ut hoc falsum, illud verum quoddam pronunciatum denotaret. Græciffare ergo non frustra videbuntur multi scholastici etiam inscii, cum suo non-ente complexe sumto, ente per se, hoc est, vera per se propositione, aliisque suis flosculis.

XXI. Nervose valde τὸ ὄντας per *Φύσις Gal. IV, 8.* exprimitur, ubi idola jam alibi a Paulo *nihil seu non-entia* appellata, vocantur *οἱ μὴ Φύσις ὄντες θεοὶ*, quod est, *οἱ μὴ ὄντως ἢ ἀληθῶς ὄντες θεοὶ*, *nuncupative*, non etiam *substantive* dii, quæ sunt S. Bernhardi adverbia. Quo quoque sensu concilii Ephesini patres anathematismo tertio, duarum in Christo naturarum unionem *Φυσικὴν* vocasse intelligendi sunt, ut ipsi Cyrillo Alexandrino & aliis hypostatica ea unio, *ῥσιώδης*, hoc est, verissima & explicante Damasceno *l. 3. O. F. c. 3.* κατ' ἀλήθειαν καὶ ἔκτ' *Φαντασίαν* facta, appellata fuit; ne de homine Christo, Dei Filio *naturali*, memoremus multa. Horum haud dubie exemplo factum est, ut ad occidentales quosdam scriptores ejusmodi locutiones transierint. Fatemur quidem, philosophos aliosque auto-

res, cum de Φυσικῆ ἀκολογία in demonstrationibus, de Deo φύσις existente, φύσις æterno & quæ reliqua ejus attributa sunt, de cujusque rei natura, constitutione, forma vel substantia loquuntur, amplius quid ac dictum fuit, innuere; quomodo quidam ὑπόκειν Christianismi intelligunt *Ebr. III, 14.* neque tamen exempla desunt, e quibus nostrum quasi adverbium φύσις explicata hætenus acceptione adhibitum innotescere queat.

XXII. Supra §. VII. formularum restringentium, meminimus obiter: nunc eæ hic suum sibi locum tribui expetunt. Primo quidem ὡς 2. *Cor. III, 5.* singulare anadiploseos logicæ, voculis *ut sic* vulgo exprimi solitæ, specimen exhibet, quod B. Philippi Zeifoldi raram industriam in *Logica Sacra* adhibitam subterfugere potuisse miramur: *non sufficientes sumus cogitare aliquid ἀφ' ἑαυτῶν ὡς ἐξ ἑαυτῶν a nobis, quasi ex nobis.* Non obesse multum isti, ut Chrysostomus appellat, διορθώσις credimus, quod non utrinq; ἐξ ἑαυτῶν, ὡς ἐξ ἑαυτῶν, sed ἀφ' ab initio, ἐξ in altero membro, augendæ emphaseos gratia, legitur. Ejusdem reapse generis repetitio, alterius tamen elocutionis, locique *Matt. X, 41. 42.* extat. Deinde ὅτι, quod *Joh. V, 27.* legitur, partim διοριστικῶς pro καθόλου sumi, post nostrum librum concordiæ *p. 776.* agnoscit adductis aliis testibus B. Gerhardus *part. 1, confess. cathol. l. 2. spec. art. 2. c. 1. p. 269. 283. 286.* Ad locum vero *1. Joh. III, 9.* quo ὅτι bis *quatenus* connotat, unus itidem Scherzerus in *collegio antisociniano*, immortalitate dignissimo opere, *p. 283. 341. 796.* omnium instar sit. Neq; eo quis feliciter veram Christi Domini mentem *Luc. XVI, 8.* expresserit, qui laudem iniquo œconomo ibi tributam eatenus intelligit, ὅτι φρονίμως ἐποίησε, *quatenus prudenter fecerat*, inique neutiquam. Eadem ratione particulam *quod* latinis in usu fuisse, dubitantem docebit Linacer *l. 2. de*

2. de emend. p. 98. & Buchneri thesaurus a CL. Christophoro Cellario nuperrime revifus. Porro ἐφ' ὅσον Rom. XI, 13. vel ut quædam legunt apographa, ἐφ' ὅσον, sive μέρῳ subaudiatur sive χεῖρον, κτ' σάρκα Rom. I, 3. IV, 1. IX, 3. 5. 1. Cor. I, 26. X, 18. similesque loquendi rationes cum præpositione κτ' constructæ, nec non ἐκ μέρως, ἀπὸ μέρως 1. Cor. XIII, 9. 2. Cor. I, 15. II, 5. indicari duntaxat, non demonstrari copiose volunt; quorsum etiam pertinet μέρῳ π 1. Cor. XII, 18. ubi κτ' omittitur, loco κτ' μέρῳ π *secundum quid*. Cui formulæ vicinissima est illa comparans 2. Cor. III, 10. ad latinos deinceps & germanos propagata, ἐν τῷ τῷ μέρῳ, hoc est, commentante Chrysofomo, κτ' τὴ συγκρίσεως λόγον, κτ' σύγκρισιν, τῷ τὴ συγκρίσεως λόγῳ, & 2. Cor. IX, 3. καθ' ὅσον ἢ καθ' ὅσον, cui Chrysofomi, Piscatoris, Sebastiani Schmidii iudicio respondet κτ' ποσῶν Ebr. VII, 19. 22. I, 4. *in quantum, in tantum* (quas interpretationes promptius tueri confidimus, quam quis Ariæ Montani *ad quantum* Rom. XI, 13.) formulæ sunt encomiasticæ & ætiologicæ. ἐφ' ὅ Rom. V, 12. quod attinet, ut ipsissimam literam *in quo* deseramus, nulla nos adigit necessitas.

XXIII. Nihilominus tamen secius rapit nos in peculiarem sui contemplationem, tum Paulina propositio 1. Cor. XII, 27. cuius vera mens e cognita diversitate sensus collectivi & distributivi peti debet: *vos* collectim & sylleptice sumpti *estis corpus Christi, membra vero* ἐκ μέρως, particulatim, distributim & diæretice partem ecclesiæ constituentia, ut plura adhuc ejus generis delibare licet e B. Musæi *Tr. de ecclesia part. i. p. 69.* tum τὸ κτ' ἄνθρωπον λέγω Rom. III, 5. cum paraphrasi Theodoretii, ὅτι ἐγὼ πάντα λέγω, ἀλλὰ τὰς τῶν ἄλλων τέθεικα λογισμὸς, & Theophylacti animadversione, ἀντίθεσιν εἰσάγει τοιαύτην, ὡς τινῶν λεγόντων-αὐτὴ μὲν ἡ ἀντίθεσις. λυγὴ δὲ αὐτὴν πανσόφως ἢ ἀνίτηρόφως. Quotquot etiam re-

centio-

centiorum verba Pauli proxima *μιμητικῶς* & vitandæ blasphemix suspicionis causa, adscripta censent, hunc *ad hominem*, non ex sua ipsius mente argumentatum fuisse indicant; ut hic adeo locus iterum quendam, quicumque is tandem fuerit, spiret philosophismum. Dabunt autem æqui censores nobis veniam, quod exemplorum aliorum luce destituti, aliena orare auxilia, assensionemque hæctenus suspendere malumus, tametsi nihil absurdi illa secum ferat sententia; aut susque deque habenda sit. Chrysippi Stoici locutio apud Plutarchum *in commentario repugnantiarum Stoicarum* T. 2. Opp. f. 1041. qua τὰ κατὰ τὸ ἀνθρώπου καὶ τὴν ἀνθρώπινον φύσιν, τοῖς ὑπὲρ τὸ ἀνθρώπου καὶ ὑπὲρ τὴν ἀνθρώπινον φύσιν, rebus homine ejusque captu superioribus opponuntur, huc nequicquam pertinet. Hodie quid communi usu sit argumentum κατὰ ἀνθρώπου *ad hominem*, obliquæ nempe *inductionis* species, quam Cicero *1. de invent. rationationi* directæ opponit, quaque adversarii animum in adversarium nobis sumimus, notius nihil est: sed ea quidem ratio sola neminem in conjiciendo turbaverit, qui quid *sortes, disparatum, inductio*, multæque notiones aliæ olim, quid nostro valeant tempore, probe norunt. Quid? quod & in hac ipsa phrasi nostra superiore nondum sæculo idem, qui hodie ut plurimum obtinet, sensus solus definitus est, ut e Rodolphi Agricolæ philosophi elegantissimi *inventione dialectica* l. 2. c. 15. edit. Matthæi Phrissemii colligi potest.

XXIV. Vix eluctari limitationum biblicarum catalogo posse videbimur, quippe quod his accenseri adhuc debet effatum illud, *nihil tibi esse immundum δι' εαυτῶν per se* Rom. XIV, 14. A vulgata, quæ se omisso reddidit *per ipsum*, nihil, quod mirum forte putaveris, Arias Montanus discessit: sed causa conjicimus est, quod hic in græco suo codice legit

legit δι' αὐτῶν, cum S. Chryſoſtomo, qui ad hunc locum τὸ δι' αὐτῶν per τῆ φύσιν, alii καὶ τὴν φύσιν, κυρίως, καὶ ἐαυτὸν, ἐν αὐτῶν, κατ' ἑστίαν, ἐκ φύσεως, καὶ τὴν οικείαν φύσιν, eo, quem ad finem §. XXI. indicavimus, φύσει sensu explicant. Sed, quod magis miremur, Theophylactus suo hic præter solitum deserto Chryſoſtomo nobiscum legit, si editionis Londinensis niti fide integrum est, δι' ἑαυτῶν, τετέστιν, τῆ ἑαυτῶν φύσιν. quam usitata & latinis philosophis ejusmodi adjunctiones fuerint *per se ipsum, suapte natura, natura, ex se*, Severino Boëthio *sui substantia*, sequioribus aliis *naturaliter*, nec non versus allati capitis vigesimi partem πάντῃ καὶ παρῇ, quæ *per se* dissimulatur, illustrare, tanta in luce veremur.

XXV. Quid si præterea textum *Luc. XVI, 8. filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis sunt eis τὴν γενεάν τὴν ἑαυτῶν*, loco *in generatione sua*, verbo philosophis tritiorē verteremus, *in suo genere*? Non certe gavisus nihil sumus, cum jam pro vero receptam opinionem Lucæ Brugensis, Bezæ, Castalionis, Piscatoris, Erasmi Schmidii & Salomonis Glasfii suffragiis daretur colligere; quicquid de Hebraismo est, quem alii hic inveniunt. Observavimus insuper in ipso oratore Ciceronis: *quid est, quo præscriptum aliquod aut formulam exprimas, cum in suo quodque genere præstet, & genera plura sint?* etsi & istud porro notandum, græcos in hujus vicem formulæ conduplicationem interdum sufficere, ut: cum Hierocles supra laudatus Pythagoræ carmina aurea, vocari aurea judicat *Ἄρα τὸ, ὡς ἐν ἑπέσι, ἀριστα εἶναι; ἔτω γὰρ καὶ χρυσοῦν γῶν λέγομεν τὸ ἐν τοῖς ἀνθρώπιναις γῶσι ἀριστα*, quod, interprete Johanne Curterio, *in suo genere optima sint*; sic enim *Ἔ aureum sæculum dicimus, quod in hominum ætatibus fuit optimum* p. 7.

XXVI. Tandem si quis *Rom. IX, 25. Dei decretum proph-*


D

phe-

pheticum legerit, καλέσω τ' ε' λαόν με λαόν με, hebraïsmum
 quidem ex *Hof. II, 23.* rursus adduxerit optime; quo pacto
 כח - נלך *Tbren. I, 6.* דחף - נלך יאד. *Ps. XLIII, 1.* LXX. inter-
 pretes transtulerunt ἐν σκίχ' ἐν in non robore, ἐξ ἔθνες ἐχ' οἰς
de gente non-sancta: nec tamen figuræ hyphen, quam ex
 hujus generis usu ampliore salutare philosophicam possis,
 commeminisse obfuerit, quandoquidem ibi etiam duæ vo-
 ces, una categorematica, altera syncategorematica per vir-
 gulam maccaph ὕφ' ἐν coalescunt. Ut autem non omne
 hyphen, sic nec ideo dictiones cunctas vinculo maccaph
 unitas, philosophismos ausimus dicere. Nihilofecius ab
 ista construendi ratione, quæ ad Aristotelis ὄνομα ἢ ῥήμα
 ἀόριστον pertinet, cujusque jam exempla dedimus, titulus
 iste vix abjudicari potest. *Iste non dolendi status non vo-*
catur voluptas. Si non dolere voluptas sit summa, non esse
in voluptate dolor sit maximus, de Epicuri disciplina apud
 Tullium *l. 1. de fin.* differitur similiter. confer *Rom. IV, 17.*
 & adhibito discrimine *Ebr. XI, 3.* Dantur adhuc apud phi-
 losophos vocum compositiones aliæ, neque diffitemur,
 sabbatum δὲ πρῶτον *Luc. VI, 1.* quod ipse Erasmus Ro-
 terodamus *secundo primum* transtulit, ad se nos primum
 convertisse paululum. Ac profecto si Johannis Cloppen-
 burgii sententia vera est, πρῶτον anni ecclesiastici, δὲ πρῶτον
 civilis anni intuitu, distincte dici illud sabbatum, parum
 abest forma nominis a neutropassivis, motibus scholasticorum
cum d'primis, dissertatione philologicotheologica, ut dicere
 multi solent. Ast & cum res ipsa sit impeditissima, & ex-
 empla probatorum auctorum, quod scimus, desint, neque
 etiam eo dilabi instituerimus, tacere, quam fluctuari equi-
 dem malumus. Plura docebit dies.

XXVII. Atque hoc est, Lectores faventissimi, sa-
 crum quaecunque anthologion grammaticæ philosophi-
 cæ,





36 129 8



ULB Halle 3
001 554 603




56

VD 17

(K)
w.c.







57

Q. D. B. V.
NES GRAMMATICAS
quibusdam
ESTAMENTI
SOPHISMIS
Seu
IS PHILOSOPHICIS,
Senatus Philosophici
indultu,
RÆSIDE
ANTONIO, Z.L.
ollegii Collegiato,
Senus Praeceptore,
ublice tuebitur
A. R.
HORUS STRALIUS,
randeburgensis.
Augusti A. Mc lvc LXXXVI.
H. L. Q. C.

LIPSIAE,
STOPHORI FLEISCHERI.

